



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 57. Ludovico Regis vindicta in Regem Catholicum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XVI.
A. C. 1504.

§. LVII.

*Ludovici Regis vindicta in Regem
Catholicum.*

Marian. lib.
28. n. 55.

Verum, ut vindicandi proposito suus colluderet successus, consultissimum fore censebat, si animo statutam cum Imperatore, ejusque filio Archiduce concordiam iniret, Regem vero Catholicum vana pacis fiducia falleret; quapropter rei gerendæ negotium Cardinali de Ambasia mandat, interea vero continuo de concordie legibus cum Hispaniæ Legatis agere præcepit, eisque, ut animi sui propositum cautius tegeret, alterius pacis articulos proposuit, Regemque Catholicum de illis edoceri, atque Oratores novi mandati literis muniri iussit. Annuere Ferdinandus, & Isabella non sine ingentis gaudii significatione, jamque articuli in deliberationem veniunt, quorum primus nuptias offerebat inter filium natu majorem Friderici Neapolitani Regis, & Ferdinandi junioris Viduam, adjecta etiam pollicitatione, qua Fridericus filio suo regium diadema cessurus esset: ast dum hæc interea agitantur, Pisani, qui Gallorum armis potissimam libertatis suæ partem debebant, iis relicto sese Hispanorum præsidio, ac tutelæ commiserunt. Hoc nuncio pacis delibe-
ratio

ratio non solum eversa, sed etiam Ludovicus tam impotenti ira commotus est, ut e vestigio Hispaniæ Oratores aula exulare, ac sine moræ dispendio regno excedere juberet. Ergo quantocius omne commercii genus Hispanis fuit interdictum, nec plus Legatorum precibus datum, nisi quod ante suum discessum Reginam, ac Fridericum salutare possent, unde die vigesima sexta Augusti in patriam suam reversi sunt. Ergo Pisanorum defectio primus erat obtentus, quo Rex Legatorum dimissionem æquam reddere nitebatur, cujus tamen genuina, eaque secreta causa erat, quod pacem cum Imperatore stabillendi propositum concepisset.

Secul. XVI.
A.C. 1504.

§. LVIII.

Fœdus inter Imperatorem, Archiducem Austriae, & Franciæ Regem.

Hispaniæ Oratoribus vix Bleso egressis, Maximiliani, atque Archiducis Legati advenerunt: Protinus igitur consultationibus datum est initium, quibus Finarii Marchio nomine Pontificis, & Petrus Fillolus Sisteronensis Episcopus ejusdem internuncius interfuere. Ibi sublatis omnibus obstaculis, quæ Mediolanensis Ducatus investituram Ludovico

Marian. ib. n. 56
Recueil des traittez de paix tom. 2. Raynald. hoc ann. n. 1. Et 22. Spond. ib. n. 2. Guicc. l. 6.

L 1 5

XII.